

356

354

360

adhaerentes columnis, parietibus et saccis gravibus, ne sic pro-
jecta navi de latere in latus simul laberemur. Nec alicui indul-
gebatur de carina egredi ad quamcumque necessitatem, nec illo
die oblatus nobis fuit cibus nec potus, quia coquina non igne sed
aqua plena erat, sive in illo tetro mansimus carcere usque ad
vesperas; advesperascente die, ecce quasi in antrum Aeoli revo-
cati sunt venti, et omnia quieverunt et turgida hactenus vela lan-
guida exhaustaque adhaeserunt malis, sive in taediosa bonaza
mansimus usque in diem alterum, in loco, ubi mare effusum no-
bilissimum constituit sinum Ambraticum in Epyro.

350

365

345

405

305

455

255

Die XIX. revenit ventus bonus, et velis inflatis celerrimo
cursu navigavimus, ac si ventos in utribus ab Aeolo accepissemus.
Illo die insulas multas pertransivimus, quae dicuntur Casopiae in
generali, alias habent propria nomina. Hae insulae, ut dicitur, fue-
runt ante confoederationem Venetorum cum Turcis ejusdam domini
Christiani Graeci, qui in multis subvenit saepe Venetiis et utilis
fuit quasi maris custos contra Turcos, quia insulae istae magnam
occupant maris partem et mediant inter regiones Turcorum et
Christianorum, sed facta confoederatione cum Turcis Venetos am-
plius non timuerunt, irruerunt insulas istas et capto domino earum
eum tributarium constituerunt et aliquas desolaverunt. Unde
tempore primae meae peregrinationis episcopus Sóphoniensis de
una illarum coactus fuit deserere sedem suam, eratque vir matu-
rus et grandaevis, et nobiscum Venetias navigavit, qui dixit nobis,
quod Turei in captione illarum insularum nullum Christianum oc-
ciderunt nec populum transtulerunt, nec abnegare fidem coëge-
runt, sed tantum suae servituti subjecerunt dantes eis praefectos
et capitaneos Turcos. Statim autem facta illa mutatione dominii
temporalis defecit etiam potestas spiritualis et ecclesiastica, nec
populus communis curavit amplius episcopos nec presbyteros, non
praedicatores, et ecclesiasticas censuras contemserunt, praecepta
spreverunt, et si ecclesiastici praelati aliquem contumacem corrigere
volebant, ille contumax conquerebatur hoc judicii praefecto Turco,
et statim, si occisus praelatus non fuit, ille tamen fuit compulsus
exulare. Dixit etiam nobis idem episcopus, quod quando rumor
primo venit in insulas de adventu Turcorum, tantus metus, tantus
ulutatus erat in populo, quod miserabile fuit videre; sed quam
cito Turcis juraverunt, statim obedientiam praelatorum ecclesiasti-

Ende

Anfang

